



CAatalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De sancto eulogio presbytero [et] confessore. Cap[itulum]. lxxxviiiij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70797)

ecclesia fecit. Sub eius episcopatu hermes librum composuit: in quo mandatum continetur: quod ei precepit angelus domini: cum ad eum venit in habitu pastoris: et precepit ei: ut sanctum pascha die dominico celebraretur. Quod et ipse pius episcopus constituit. Hic fecit ordinationes. v. per mensem decembrium presbyteros. x. diacones. xxi. et episcopos per diversa loca. xii. Sub eius etiam tempore rome due sacratissime germane virginis claruerunt: scilicet potentiana et praededis qui etiam sub persecutione Antonini et marci martyrii gloriam adeptus est. Et sepultus est cum fratribus suis iuxta corpus beati petri in vaticano. v. idus Julii. Et cessavit episcopatus dies. xliij.

De sanctis Eulogio et sociis martyribus. Cap. lxxxiij.

Eulogius cum alijs tribus martyres apud constantinopolim passi sunt. Quorum dies trisephi recolitur. v. idus Julii: ut ex martylogio adonis scriptum habetur.

De sancto eulogio presbytero et confessore. Cap. lxxxiij.



Eulogius presbyter alexandrinus: ut ait hieronymus: et heraclides cogitationes hominum a deo ipsi reuelatas cognoscebat: quosdamque eucharistiam sumere volentes a communione sacra remouebat: et sic illos ad penitentiam prouocabat.

reuelabat: et sic illos ad penitentiam prouocabat. Hic dei amore elephantosum quendam omnino tempore vite sue fouere promisit. Quem duodecim annis. xv. sedule confouisset ille diabolo procurante ingratus beneficii in eulogio contumacia impotabilis inferebat. Cum autem eulogius hinc propter votum emissum: hinc propter infirmi importunitatem perplexus maneret. Antonini abbatem vna cum leproso adijt consulendum. Qui cum ad monasterium macarii deuenisset: repperit et illum antonium attingisse. Qui ab eo aduocatus et super patina: ac perseverantia doctoris: infirmus quoque ab eodem antonio ad gratitudinem est prouocatus: vnde ambo ipsi sedato scandalo adinuicem perseverantes manserunt: et ad cellam suam redeunt post dies quadraginta. Eulogius inde post triduum et leprosus spiritum tradiderunt. Festum autem eulogii agitur quinto idus Julii. Hec heraclides et in vitis patrum.

De sanctis Ianuario et Delagia martyribus. Cap. lxxv.



Delagia martyres apud minorem armentam in ciuitate nicopolim passi sunt. Qui tempore persecutionis pro confessione nominis christi sub herennio imperatore primo: in equuleo leuati et diutius torti. Deinde vngulis crudeliter lacerati: ac demum in carcere victi testarumque fragmibus diebus. lxx. cruciati gloriosum martyrium impleuerunt. v. idus Julii: ut dicitur ado.

De sanctis Hermacora episcopo et Fortunato mar. Cap. lxxvi.



Hermacoras episcopus et Fortunatus archidiaconus martyres apud urbem aquileiam passi sunt. Imperante nerone sub preside seuasto. Cum enim beatus Tharcus euangelista apud eandem urbem a beato petro apostolo discretus multo tempore predicasset: et ad magistrum reuiscendum accedere vellet. Hermacoram ciuem aquileiensem eius discipulum a populo in episcopum electum romam secum adduxit: quem beatus petrus loco marci aquileie episcopum consecrauit: et ad ipsum ecclesiam gubernandam destinauit. Tharcum vero alexandriam misit: ut hec omnia dicta sunt supra in passione sancti marci. viij. kal. maii. Igitur beatus hermacoras aquileiam veniens ecclesiam suam feliciter gubernauit: et plures sacerdotes et leuitas ordinauit. Inter quos fortunatum quendam eius archidiaconem constituit. Ipse autem verbum domini fugiter predicabat: et miraculorum insignium gloria clarebat. Nam et cecos illuminabat: et egros quoscumque sanabat: et obsessos a demonibus liberabat: vnde et infinitum et multis ciuitatibus ad se concurrentem populum conuertebat.

Cum autem seuastus quidam preses ciuitatem aquileie ingressus esset: pontifices idolorum accusauerunt. Hermacoram episcopum: quod templa deorum destrueret: et populum ab eorum cultura subtraheret. Quem preses comprehendit iussit et sibi presentari. Qui cum preses suaderet: ut deos coleret et a christi predicatione cessaret. Respondit hermacoras: quod ex iussione dei ordinatus episcopus non posset quiescere a predicatione christi: ut a diabolo derentos reuocaret ad regnum domini: Longe in confessione nominis christi constanter persisteret. Iussit illum preses extendi et neruis crudis diuisus cedi. Et cum sanctus martyr in his gratias ageret: et presidis tormenta derideret: fecit eum in equuleo suspendi: et pectus eius vngulis radi: postea precepit laminas ferreas candentes